

spositionibus requisitis, ut materia uniatu formæ, quia solum potest informare corpus organicum: istæ autem dispositiones cum sint corporeæ, et modo extenso recipiantur in corpore, dependent a continuatione partium corporis, earumque colligatione, sine qua non est recte dispositum corpus, et consequenter dependet a partibus intermediis, sine quibus non fit continuatio, neque communicatur virtus vitalis, quæ residet in spiritibus, et sanguine, quæ omnia cum corporea sint, non possunt communicari partibus extremis sine dependentia a mediis, quia modo extenso se communicant res corporeæ: at vero Angelus non existit, neque coniungitur corpori ut forma, sed ut motor, et ut agens independenter a quacumque dispositione corporis. Unde potest ad quamcumque partem corporis voluerit se applicare, et inde inchoare operationem suam independenter a quacumque distantia vel extensione intermedia, ut ostensum est.

Ad primam confirmationem respondetur Angelum posse moveri motu continuo vel discreto in infinitum syncategorematicè, quia ex nulla parte positus est illi terminus intra quem non possit moveri si velit, neque ex parte sui, quia non fatigatur in movendo, neque ex parte termini, quia nullus ei repugnat ratione cuiuscumque distantie. Sed tamen quicumque motus in singulari determinatum terminum habet, et finitus est, ut supra diximus. Ad hoc autem ut sine medio moveatur, non requiritur virtus infinita, sed sufficit independentia a commensuratione loci, ut possit sine transitu per illum poni in loco distante.

Ad secundam confirmationem respondetur, quod in illo argumento D. Thomas loquitur de motu continuo, et vult ostendere, quod etiam in illo potest Angelus transire de

loco ad locum sine transitu per medium, eo quod anima sic potest cogitare de locis extremis non cogitando de mediis, quod utique potest anima facere, etiam per cognitionem continuam et sic comparando cognitionem continuam motui continuo, recte ponit differentiam D. Thomas inter cogitationem, et motum, quod illa cogitatio, licet sit continua, non tamen applicat substantiam ipsis rebus, sed trahit res ad se, potest autem trahere ad se cogitatio continua res non continuas. Per motum autem continuum non potest applicare spatiis non continuis, substantiam suam, quia hoc est contra ipsam rationem continuitatis ex parte motus.

XXI. Secundo arguitur: Angelus non potest pertransire de tempore præterito in futurum, nisi per præsens: ergo similiter non poterit pertransire de spatio extremo ad extremum, nisi per spatium intermedium. Consequentia patet, quia non minus est ordo essentialis inter partes permanentes spatii, quam inter partes successivas temporis: ergo si illæ non possunt pertransiri sine medio, neque etiam istæ. Et præsertim hoc urgetur, quia ordo præfixus a Deo inter partes universi est ordo situationalis, quem non potest Angelus pertransire, quia a Deo præfixus est: ergo non potest tangere extrema, non contactis mediis.

Confirmatur, quia Angelus non potest movere aliquod corpus de extremo ad extremum, v. g. lapidem non transeundo per medium: ergo bene seipsum poterit sic movere. Patet consequentia, quia motus corporis, et Angeli eodem modo se habent in ratione successivi: ergo eodem modo se habent in dependentia a partibus mediis respectu extremorum.

Confirmatur secundo, quia Angelus non potest extra suam sphaeram

collocari in passo distante, quin collocetur in spatiis intermediis, si quidem collocatur mediante operatione, et non potest operari ultra suam sphaeram: ergo neque etiam poterit id facere intra sphaeram propriam. Patet consequentia, quia operatio Angeli quando relinquit propriam sphaeram, et acquirit aliam, dependet a spatiis intermediis, ita ut non possit in quamcumque distantiam eam collocare: ergo etiam non poterit intra suam sphaeram eandem virtutem applicare, nisi dependenter a spatiis intermediis: si enim semel dependet a continuitate spatii ut se faciat præsentem, semper dependebit, et motu discreto non poterit moveri, quia hoc non regulatur penes majorem vel minorem virtutem in movendo, sed penes dependentiam vel independentiam a commensuratione loci, et ab ejus distantia.

Respondetur esse disparem rationem inter coexistentiam Angeli ad partes temporis, et ad partes spatii, quia partes spatii permanenter existunt, et a parte rei, et quælibet est capax assistentiæ Angeli, nec ipse Angelus per commensurationem ad earum quantitatem coexistit, sed independentia ab extensione spatii: potest ergo assistere cui voluerit si ne transitu per partes. At vero tempus futurum nondum est, nec est capax ut ei coexistat Angelus antequam sit in se: nec enim in duratione Angeli existit antequam in se: id enim est proprium æternitatis. Debet ergo Angelus expectare præsentiam partis futuræ ut ei coexistat, quia ante non est capax. Unde Angelus non coexistit tempori per operationem, et contactum suum in ipsum, sed per meram concomitantiam ad temporis decursum, decursus autem temporis fit per præsens ad futurum, et non aliter: hoc ergo debet expectare Angelus

ut ei coexistat. At vero coexistentia ad spatium non est sola concomitantia in existendo, sed est applicatio, et contactus Angeli ad spatium, et ad corpus, ut ex illo, et in illo operetur. Non obligatur autem virtus Angeli propter suam immaterialitatem, et eminentiam ad adhibendum contactum suum juxta commensurationem loci, et extensionem corporis; et ideo potest applicare suam virtutem in ratione formæ agentis corpori extremo, et non corpori intermedio. Quod vero ordo constitutus a Deo inter partes universi sit ordo situationalis, quem non potest Angelus prætermittere, dicimus hunc ordinem esse positum a Deo quoad ipsas partes universi inter se, ut quod ignis sit sursum, et terra deorsum: et hoc non potest Angelus prætermittere faciendo quo ipsæ partes quantitativæ inter se collocentur sine partibus intermediis; sed tamen quoad coexistentiam Angeli ad tales partes universi, non est potius ordo a Deo, ut prius Angelus tangat partes intermedias, quam extremas, quia ad hoc in vi suæ immaterialitatis, nulla ratione obligatur.

Ad primam confirmationem respondetur quod Angelus non potest movere corpus tollendo ab illo modum proprium, quem habet ex sua propria extensione quantitativa, ratione cujus subjacet commensurationi loci, nec potest moveri corpus motu locali nisi per contactum quantitativum, nec iste contactus haberi potest, aut intelligi, nisi cum dependentia a commensuratione loci, et secundum leges distantie, et propinquitatis. Unde S. Thomas in hac quæstione LIII, artic. II, absolute negat corpori quod possit moveri motu discreto, et id absolute concedit spiritui, quia corpus et mensuratur, et continetur sub loco, non vero spiritus. Quare si Angelus

movet aliquod corpus, non potest nisi motu continuo illud movere, et seipsum ad motum illius.

Ad secundam confirmationem aliqui existimant non posse Angelum moveri motu discreto ad quamcumque distantiam, sed solum quando passum distans non distat extra sphaeram suæ activitatis, sed continetur in loco quem potest occupare. Cæterum motus discretus Angeli non fundatur in quantitate suæ virtutis, neque regulatur secundum sphaeram suæ activitatis, sed solum propter independentiam a commensuratione ad locum: nec enim posse moveri si transitu per loca media fundatur in majori vel minori velocitate, qua movetur Angelus, aut in minori, vel majori virtute, et activitate secundum quod habet majorem sphaeram quam simul potest actuare, sed fundatur in sola superioritate quam habet ad locum continendo illum, et non contentus sub eo. Unde S. Thomas, in hac quæstione LIII, art. II ex hoc præcise quod substantia Angeli non est subdita loco, ut contenta, sed superior eo ut continens, infert quod in potestate ejus est applicare se loco, prout vult, vel per medium, vel sine medio. Nec in hoc ponit aliquam differentiam respectu locorum, quæ sunt intra sphaeram, vel extra sphaeram Angeli, sed absolute dicit quod absque medio potest se applicare loco prout vult. Et præterea, quia sphaera activitatis Angeli mensuratur secundum quantitatem virtutis ejus, secundum quam potest majorem, vel minorem sphaeram occupare: sed velocitas motus Angeli non est secundum quantitatem suæ virtutis, sed secundum determinationem suæ voluntatis ut expresse dicit S. Thomas in hac quæstione LIII, art. III ad I. Ergo etiam quod moveatur motu discreto omitendo plura media (quod etiam per-

tinet ad velocitatem motus Angeli) non regulatur penes quantitatem virtutis, sed secundum determinationem suæ voluntatis: ergo neque attenditur penes loca contenta intra suam sphaeram, vel extra, quia continentia sphaeræ, et quod sit major vel minor, regulatur secundum quantitatem virtutis, non secundum determinationem voluntatis.

XXII. Quare dicendum est, quod in motu discreto nulla datur sphaera in Angelis, sed ad quodcumque passum, sive intra, sive extra sphaeram suam potest se applicare prout voluerit, quia hoc non fundatur in majori virtute motiva, et activitate qua potest circa majus passum, vel minus operari, et illi simul assistere, sed fundatur in omnimoda independentia, et superioritate a commensuratione loci, quod omnibus Angelis, et spiritibus commune est in quantum sunt formæ activæ immateriales. Nam ad vincendam dependentiam a locis intermediis ut transeat ad extremum, nihil conducit velocitas, vel activitas virtutis, sed hæc solum servit, ut distantia illa pertranseat breviori tempore, ad hoc vero ut nullo modo pertranseat velocitas, seu activitas, nihil conducit, sed solum independentia a commensuratione loci. Unde cum Angelus nullis legibus loci sit adstrictus, et ex quocumque corpore possit sibi constituere passum ex quo operetur, poterit pro sua voluntate applicare se corpori cui voluerit sine dependentia ab ejus distantia intermedia, quia ad relinquentiam totam suam sphaeram quam occupat Angelus ad collocandum se in alia, non indiget attingere corpus immediatum, seu partes illius: ergo poterit independentem a partibus immediatis, et conjunctis termino suæ sphaeræ aliam acquirere, et occupare. Qua ergo ratione potest immediatas partes relinquere, et ad

distantem sphaeram transire, potest quascumque intermedias relinquere, et ad quamcumque distantiam se applicare, quia non est major ratio quod sit independens in applicando se ad corpus a partibus immediatis; et non sit a quibuscumque aliis intermediis, cum hoc non innitatur virtuti, et activitati se movendi, sed independentiæ a commensuratione loci. Et cum dicitur, quod Angelus collocat se in spatio mediante operatione: ergo non potest in quamcumque distantiam operari.

Respondetur quod collocat se in loco mediante operatione, quatenus independens est a commensuratione loci, non quatenus vincens est resistantiam seu distantiam medii. Et quia talis independentia est a quacumque commensuratione, et distantia loci, potest ad quamcumque partem voluerit inchoare operationem suam et ibi collocare seipsum.

XXIII. Ultimo arguitur: Quia in quolibet motu debet dari aliqua successio, et aliquod moveri ante mutatum esse: ergo etiam debet dari aliquod medium inter mutatum esse, quod est in termino ad quem, et illud quod est ex parte termini a quo. Patet consequentia, quia quando Angelus est in termino ad quem, tunc non est in moveri, sed in mutato esse, quando autem est in termino a quo, nondum incipit motus, quia adhuc non recedit ab illo termino: ergo ut detur motus, necesse est quod detur aliquis transitus per medium. Et præsertim hoc urget in motu locali, quia per illum acquirit Angelus aliquam distantiam, et propinquitatem ad puncta fixa, et consequenter oportet quod acquirat istam distantiam et propinquitatem juxta leges ipsius distantiae, quæ consistit in hoc, quod non possit attingi distans, nisi prius attingatur propinquum, sicut homo licet se ap-

plicet libere alicui loco, tamen quia modo corporeo se applicat illi, debet subdi legibus loci: ergo quia Angelus acquirit distantiam, vel propinquitatem, debet subdi legibus distantiae, et propinquitatis.

Respondetur, quod in motu continuo ad quodlibet mutatum esse præcedit moveri per modum successio- nis et continuitatis, non tamen in motu discreto, eo quod in motu continuo mutatum esse non est pars motus, sed terminus ejus, et ita extrinsece se habet ad ipsum motum: in motu autem discreto non præcedit aliquod moveri ipsum mutatum esse, quia motus discretus in Angelo non habet mutatum esse pro termino extrinseco, sed pro parte componente ipsum, eo quod motus discretus componitur ex duplici instanti, sine aliquo medio continuante, quia si daretur continuativum intermedium, ille motus non esset discretus, sed continuus: et ita motus discretus componitur ex duplici operatione indivisibili, seu duplici instanti, quorum unum succedit alteri immediate, et primum instans desinit per ultimum esse, et ex illo ut desinente, et altero instanti ut succedente componitur motus ille discretus; et sic non est motus qui consistit in aliqua tendentia intermedia inter terminum a quo, et terminum ad quem, sed consistit in acquisitione instantanea unius termini, seu mutati esse, non absolute, sed ex termino a quo desinente per ultimum esse, et ex illo instanti desinente, et isto de novo posito tamquam ex duabus partibus indivisibilibus, seu duobus instantibus componitur istud genus motus. De quo iterum dicemus articulo sequenti.

XXIV. Ad id vero quod dicitur de acquisitione distantiae, vel propinquitatis ad puncta fixa in motu Angeli, jam supra diximus, motum Angeli primo et per se non tendere ad

distantiam, vel propinquitatem, quia hæc in ipso Angelo, qui est purus spiritus fundari non potest, sed primo, et per se tendere ad conjunctionem virtutis activæ Angeli cum corpore, quod quia in aliqua distantia est, ex consequenti dicitur Angelus acquirere, vel perdere distantiam ratione corporis cui conjungitur. Neque fundamus istam independentiam Angeli a distantia, et spatio intermedio in eo solum quod fiat per voluntatem Angeli libere operantem tamquam a causa efficiente, et applicante, sed ex eo quod fit mediante contactu virtutis omnino spiritualis independentis ab omni commensuratione loci. Homo autem licet libere moveatur, tamen contactus ejus ad locum est omnino corporeus, quia mediante corpore movetur, et mediante quantitate ponitur in loco, et ita non est deobligatus a legibus loci, sed omnino illi subjectus, quia corporeus est, quod non currit in Angelo.

ARTICULUS V.

Utrum motus Angeli in spatio possit fieri in instanti?

I. Ut sensus difficultatis hujus percipiatur, advertendum est dupliciter posse controverti, an motus Angeli sit in instanti. Primo, loquendo de instanti non solum angelico, sed etiam nostro. Secundo, loquendo de instanti angelico tantum. Tunc instans in Angelis dicitur non solum indivisibile ex parte sui, sed etiam ex parte nostri, quando operatio Angeli, quæ secundum se indivisibilis est, non correspondet in sua duratione nisi tantum instanti nostri temporis: tunc autem instans angelicum disconvenit ab instanti nostro, quando non correspondet in sua duratione solum ins-

tanti nostri temporis, sed perseverat et durat etiam per partem temporis nostri. Itaque operationes Angeli, quibus motus ejus, et tempus, seu duratio numeratur, in se semper est indivisibilis prout ab Angelo procedit, nec a nostro tempore, et successione ejus dependet: sed tamen, quia coexistit duratio Angeli, et operationis ejus nostro tempori, quia concomitanter se habent istæ durationes, ideo potest coexistere duratio Angeli, et similiter duratio operationis edurationi temporis nostri, vel in multum, vel in parum: et aliquando potest duratio operationis angelicæ coexistere durationi unius tantum instantis nostri. Quando ergo inquiritur, an possit motus Angeli fieri in instanti, præcipue controvertitur hoc de instanti angelico, non de instanti nostri temporis: nec enim mensuratur operatio Angeli instanti nostro, sed sicut est supra omne tempus, ita super omnia instantia temporis nostri. Itaque sensus controversiæ est, utrum motus Angeli unica ejus operatione perfici possit, atque adeo unico instanti angelico, sive respondeat, et coexistat tempori nostro, sive non, sed solum instanti.

II. Secundo, advertendum est quod Angelus potest de novo poni in aliquo loco dupliciter. Uno modo per simplicem mutationem, alio modo per motum proprie dictum. Per simplicem mutationem idem est ac per unicam mutationem. Per motum proprie dictum idem est quod per transitum de uno loco ad alium constantem duplici mutatione, altera qua deseritur unus locus, altera qua acquiritur alius. Tunc erit unica, et simplex mutatio in acquisitione loci, si præsupponatur Angelus absolutus ab omni loco, et incipiat de novo esse in loco positiva, hoc solum fiet per simplicem, et unicam mutationem, quia acquire-

tur taliter locus de novo, quod non relinquatur locus aliquis positivus, sed a simplici negatione existendi in loco, de novo collocatur in loco. Tunc autem erit vere et proprie motus, quando est inter duo loca positiva, relinquendo unum, et acquirendo alium: tunc enim necessario intervenit duplex mutatio illius duplicis loci, scilicet desitio, seu derelictio unius, et acquisitio alterius.

III. De hoc ergo motu currit difficultas, utrum possit unico instanti, seu operatione angelica fieri, ita quod complectatur illud instans, et illa operatio tam desitionem unius loci, quam acquisitionem alterius. Et dato quod unica operatio non sufficiat complecti utramque mutationem utriusque loci, seu termini a quo, et ad quem, an saltem sola acquisitio termini ad quem, quæ unica operatione, instantique perficitur, habet vim motus, seu acquisitionis, et tendentiæ ad terminum: existentia vero in termino a quo non pertinet ad motum, sed ad quietem, quia tota duratione ante existentiam, et acquisitionem termini ad quem existit mobile in termino a quo. Et in hoc sensu ultimo controvertitur a D. Thoma in hac quæstione LIII, art. III.

VARIÆ SENTENTIÆ.

IV. Circa hoc punctum duæ sunt extremæ sententiæ, et una media.

Prima sententia affirmat Angelum posse moveri in instanti quocumque genere motus, sive sit continuus, sive discretus, sive transeat per medium, sive non. Ita p. Suarez lib. IV de Angelis, c. XX et XXI; Molina ad istam quæstionem LIII, art. III; Scotus, Gabriel, Gregorius, Major, Ægidius, et alii quos pro hac sententia citant Carmelitani Salmanticenses

tractatu de Angelis, disp. III, dub. VII et VIII.

Alia sententia est in alio extremo, quod Angelus neque in motu discreto, neque in continuo potest moveri in instanti. Ita D. Thomas in hac quæstione LIII, art. III, Cajetanus ibi, Nazarius, Bagnez, Zumel, Ripa, Ferrariensis III contra gentil. c. II, Navarrete contr. XLVIII, Salmanticenses citati et alii.

Tertia sententia media est aliquorum, qui dicunt posse Angelum moveri in instanti, motu discreto, et quando non transit per medium. Ita p. Arrubal hic disput. CLXII, capite II, qui pro se alios citat, videlicet Cajetanum Ferrariensem, Molinam, Valentiam; Vasquez autem hic disput. CXCVII, c. II sentit quod quando Angelus movetur per medium non potest moveri in instanti, sed in tempore, non tamen probat rationem S. Thomæ quando in articulo tertio id probat. De motu vero discreto Angeli quando non transit per medium, sentit capite quarto non fieri in instanti, sed componi ex pluribus instantibus tamquam ex partibus motus, non tamquam ex terminis extrinsecis ipsi motui, sicut in nostro motu terminus a quo et ad quem extrinsece se habent ad motum.

RESOLUTIO.

V. Sententia S. Thomæ a nobis eligenda est, quæ in articulo tertio hujus quæstionis LIII aperte explicatur, scilicet nullum motum Angeli sive continuum sive discretum posse esse in instanti, sed debere esse in tempore, ut patet in illis verbis: « Relinquitur quod motus Angeli sit in tempore: in continuo quidem tempore, si sit motus ejus continuus: in non continuo autem si motus sit non continuus. » Et